

petu profilire; fontem adeò salientem ex aqua stagnante exhibentes spectatu jucundissimum. Id tamen imperfectio- nis & incommodi habebat hoc artificium, quòd aqua sa- liens retrolapsa in collum recipientis G hujus angustiam occlusus expleret ac tres fistulas I K & L breviores superaret; ita, ut ex his porrò non saliret amplius, sed ebulliret tantum, solâ interim longiore G H salientis aquæ radium notabili temporis intervallo continuante, donec nimirum hujus etiam extremitatem transcenderet aquæ relapsæ superfi- cies: id quod ante quadrantem horæ elapsam vix contin- gebat. Cæterum incommodo illi quo pacto medicinam facere, & omnes quatuor fistulas longè diutius etiam salien- tes conservare liceret, eo ipso dum hæc scribo commodum incidit. Nempe ex collo recipientis paulò infra orificia canaliculorum I, K, L, si prodiret deorsum canalis alius in- recipiens aliud undique probè munitus contra ingressum aëris, & hæc recipientis erecti appendix unâ cum ipso prius exhausta esset antequam epistomium DE aquis imponere- tur, hæ postmodum admixtæ ac per quatuor fistulas I, K, L subsilientes, in collum quidem DG essent relapsuræ, sed orificia canaliculorum modò dicta non superaturæ: ante- quam enim hæc attingerent, per lateralem illum canale- in recipiens secundarium delaberentur, radiis interim sa- lientibus in recipiente primario diutissimè continuatis.

XI. Postquam Phænomenon hoc elegans aquæ sta- gnantis, invitis etiam principiis hydraulicis ordinariis, in fontem salientem excitatæ tam in recipiente sphærico gran- diore; quàm sub campana humiliore, narrato modo, suc- cesserat, animum subibat eandem rem aliâ adhuc ratione tentare, mediante tubo vitreo, loco campanæ adhibendo, utpotè cujus major altitudo filum aquæ salientis altius da- tura videbatur. Erat in promptu tubus vitreus AB 4. cir- citer pedes longus, quem, orificio ejus imò B paulò am- pliore, prius probè complanato, mediante circello coriaceo hume-